

## CHRONICON

## EUTRANDI TICINENSIS DIACONI ET SUBDIACONI TOLETANI.

Sancto Patri Regimundo episcopo Eliberitano A *Era Cas.*  
Eutrandus inutilis servus servorum.

Gratum mihi fuit, beatissime Pater, ac domine multum venerande, quod Antapodasis nostra, in qua carmine, nunc prosa, ludo, tandem ad manus tuas pervenerit. Nec minus jucundum est quod modo jubes, ut in Fuldensis monasterii bibliotheca, ubi nunc exsul commoror, quaererem tibi Chronicon Dextri, quod Maximus Caesar-Augustinus episcopus rogatu Argemari episcopi <sup>a</sup>, et, si vacaret, ad nostra tempora producerem. Nam dicis laborare vos maxima quorundam librorum penuria; inter barbaros enim et inhumanos Saracenos non suppetit copia rerum ad v. tam necessarium, notum ut habeatis honorum librorum copiam. Dolui quidem vicem totam, quod ita duriter vitam exigas. Sed solatur te in tantis angustiis constitutum, qui <sup>b</sup> sicut bonus pastor ovibus tuis es solatio et auxilio, qui quotidie mortem subis omnium causa. Chronicon quod petis in hac bibliotheca reperi in vetusta membrana descriptum, adjecique, ut jussus sum, annorum seriem ad haec usque tempora (id est usque ad aera 960), et gratulor mihi quod cum Toletis, ubi sub sanctissimo praesule Toletano Bonito subdiaconus fui, in Italiam proficiscerer, aliquos historiae libros necum asportavi, in quibus ordine erat series collecta multorum Hispaniae episcoporum (quos in hac bibliotheca jussu, uti credo, sancti Caroli Magni imperatoris ex Hispania allatis, quos, ut aiunt, illi obtulerat sanctissimus Elipandus archiepiscopus Toletanus, postquam illum erroris sui de adoptione Christi serio poenituit). Feci quod jussisti, beatissime Pater; an voto conatus responderit, tu videbis, qui jussisti. Vale, et servum hunc exsul exsulem Deo commenda.

<sup>c</sup> Velus dicitur hoc fragmentum, quandoquidem promittens superventurum esse ad annum Domini 922, pervenit ad annum solummodo 630. Desunt caeteri anni et tantum reperiantur in hoc fragmento Chronici xlv anni. Ab anno scilicet 606 ad annum 630. Hic auctor corrupte et hic etiam, et a Trithemio, dicitur Eutrandus. Dicit debet Luitprandus. Venit Toletum ex Italia, et ibi fuit subdiaconus. Profectus vero ad Italiam factus est diaconus, de quo scribit Trithemius.

*Era Cas.*

*An. Chr. D*

- 614 Toletus nascitur praeclearis parentibus Illephonsus, qui postea fuit Toletanus episcopus.  
Toleti synodus cogitur.
- 615 Mahometus virus erroris sui infusus in 617

<sup>a</sup> Deest continuavit.

<sup>b</sup> Quod.

<sup>c</sup> Haec observatio totidem verbis legebatur in Ms.,

*An. Chr.*

Hispanias venit. Cordubae, Hispani, Toleti incipit seminare, ab Aurasio pellitur Toletis.

Witericus Catholicos persequitur.

- 616 Theodericus <sup>d</sup> mediomartyrum rex Hermetigam filiam Witerici patris intactam remittit.

- 617 Ad Secontiam duces Witerici Romanos mittunt.

Synodus Lucensis in Hispania, ibi praesit Aurasius.

- 618 Mortuo Toleti Witerico subrogatur Gundemarus.

- 619 Gundemarus concilium Toleti cogit. 611

- 620 Gundemaro succedit Sisebutus rex. 612

- 621 Bonifacio papa Deusedit sufficitur. 615

- 622 Mortuo Aurasio, invitus sufficitur in sede Toletana Helladius. 614

Sanctus vir Vincentius episcopus Carthagensis Romae moritur.

- 623 Joannes exarchus Ravennae populari iudicio multo caditur. 615

- 624 Extruso per vim Isidoro episcopo, Hispaniensi intruditur Cordianus, ad quem Deusedit litteras dat. 616

- 625 Deusedit moritur. Illi succedit Bonifacius. 617

- 626 Isidorus sedi suae restituitur. 618  
Civitas Casita <sup>e</sup> episcopis destituitur.

- 627 Mahometus in Arabia sectae suae libros invulgat. 619

- 628 Mortuo Sisebuto, die 18 Novembris, successus est in regno Gothorum Svinthila. Isidorus secundo concilio Hispanensi praesert. Sub eius disciplina Illephonsus multum profuit. 620

- 629 Bonifacium papam Honorius sequitur. 621

- 630 Maximus ex monacho Caesar-Augustinus episcopus habetur clarus. 622

- 631 Exacto Adabaldo creatur rex Longobardorum Anabaldus. 623

Sedes Assotae Bigastrum transfertur.

- 632 Maximus episcopus Caesar-Augustinus moritur. 624

Reversus Hispani Illephonsus. Eum Helladius diaconum facere volebat. Ille vero cedens saeculo vitam agit in caenobio Agaliensi, quod in suburbio Toleti est, ut nostri (Septentrionem versus, non procul a flumine Tago, et a praetoriensi templo sanctae Leocadiae circiter ecc passus distat), quod ego dum sui Toleti frequenter invisi.

sive illa sit a Scolano, sive a Fonseca, sive a quopiam alio.

<sup>d</sup> Mediomatricum legendum.

<sup>e</sup> An Assola? ut infra.

*Æra Cæs.**An. Chr. A Æra Cæs.**An. Civ.*

Tonantius Palent. episcopus moritur.

regni Rechimirum filium admittit.

663 Helladius vitæ sanctitate tota Hispania celebratur.

625

666 Ilyphonsus monachus ab Helladio Tolitano episcopo ad diaconatum promovetur.

628

Primigenius patriarcha Gradensis.

664 Heraclytus<sup>a</sup>, victor, repetita cruce, Jerosolymani adiit. Kal. Januarii Fulgen. Astigitanus moritur.

626

667 Svinthila regno pulsus moritur, sublatoque Helladio, rege jam Sisenando, succedit Justus archidiaconus, et Joanni Cæsaraugustano Braulio.

629

665 Svinthila rex Visigothorum in consortium

627

668 *Explicit fragmentum Eutrundi.*

650

<sup>a</sup> *Heraclius.*

ANNO DOMINI DCXLVI.

# VICTOR CARTHAGINENSIS

EPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN VICTOREM.

(Baron. Annal. ad ann. 646.)

Fortunato sive defuncto, sive e gradu deposito hæresis causa, subrogatus est in locum ejus hoc anno, mense Julio, Victor, qui simul ac creatus est Carthaginensis episcopus, nihil antiquius habuit quam se esse catholicum suis litteris indicare, sicque more majorum fidei suæ (a) professionem scribens, misit eam ad Theodorum pontificem, decernens ad eum dignam legationem, delegans Mellosum Gippensem, sive Gisippensem episcopum, Redemptum diaconum Carthaginensem, et Cresciturum notarium ejusdem Ecclesiæ: his itaque ad eundem Theodorum pontificem litteras dedit, quibus de sua creatione eundem reddidit certiore, simulque se fidei catholicæ esse professorem significavit. Exstant ipsæ Victoris litteræ in Actis Romani concilii sub Martino pontifice, ex quo hic suo loco et tempore quo scriptæ sunt tibi exhibendas esse putavimus.

Et post Victoris epistolam datam, hæc addit Baronius: Huc usque epistola Victoris ad Theodorum Romanum pontificem. Quod vero postremo loco habet de episcopis Africanis in suspicionem seditionis quorundam relatione adductis apud imperatorem, cujus rei gratia haud liberum fuerit legationem mittere Constantinopolim; plane significat motus illos Gregorianos, de quibus diximus, hoc anno (ut habent Annales Græcorum) (b) cœptos in Africa, rebellante Gregorio præside adversus imperatorem. Ingestum plane fuerat auribus Constantis imperatoris Africanos episcopos cum Gregorio conspirare, ob idque eidem

(a) In sua notitia de Victore Fabricius hæc habet: *Fidei ratio Hunerico regi Wandalorum tradita existat in Sicardi anidoto adversus hæreses.* Sed sane tantum Fabricii verba significant hanc rationem fidei Victori fuisse tributam, non autem ejus esse: nam Hun-

infensi penitus redditi fuere. Sed de Gregoriana rebellionem pluribus sequenti anno dicendum.

Quod rursus ad ipsius Victoris epistolam spectat, commendata ea reperitur præconio Martini papæ successoris Theodori in Lateranensi concilio verbis istis (c): *Per synodicam epistolam suam dudum nobis relectam Victor venerabilis Carthaginensis episcopus tam ferventissimum zelum suum declaravit, quamque Deo amabilem humilitatem rationabiliter certus est ostendisse. Et zelum quidem per hoc quod introductam novitatem nimis accusare nostræ apostolicæ sedi dignoscitur, et enarrare in scripto ei acclamationes pen omnium Christianorum, nec non genitus reverendissimorum episcoporum, non leviter (sicut ille scripsit) perturbatorum propter fictiones et commenta quæ adversus veram confirmavit fidem Paulus episcopus Constantinopolitanus; humilitatem autem competenter, minime præsumens abrogatum eundem Paulum habere, sed sacerdotem appellans, donec judicium de eo nostræ apostolicæ auctoritatis, hoc est principis apostolorum Petri cognoscat, utpote quoniam solus et præ omnibus creditus est atque accipere meruit a Rege regum Christo Deo claves regni cælorum ad aperiendum recte credentibus in eundem Dominum nostrum, et claudendum infidelibus hæreticis.* Nimirum cujus sit communionem catholicam iis qui foris stant aperiendo Ecclesiam impartire, vel declarando hæreticos, claudere. Plura alia addit in commendationem ejus epistolæ, sed ista satis pro instituto.

Dricus rex pene duobus sæculis ante Victorem nostrum vixisse noscitur. Eoir.

(b) Theophan., hoc anno 5 Constant.

(c) Conc. Lateran. sub Martin. Secret. 2.